

1561 na, Arausio civitates novam sectam professæ, magnos motus ediderant, ut jam cunctis in dies prolabantibus, sæva gliscentis morbi vis nullis humanis remediis sisti, ac coerceri posset. Summa apud omnes florentissimi regni miseratio, neque minor propagantis semali metus, ne, alpium repagulis perfractis, sese effunderet, atque Italiam invaderet; cum nullis neque officiis, neque precibus adhibitis (qua in re Veneti per suos legatos summopere enixi fuerant) quidquam proficeretur. Itaque cuncti Synodum, opportunam huic morbo tantummodo medicinam, summis votis exposcebant.

*Pii Pont.
decretum de
Concilio
Tridentino
prosequendo.*

Pius igitur Pontifex Maximus ad divinam opem perturbatis, atque afflictis christianæ reipublicæ rebus poscendam, jejuniis, supplicationibusque indictis, solemni ad noxas expiandas, poenarumque delictorum redimendas jobeleo promulgato, Concilium Tridenti proximo paschatis festo prosequendum sanxit. Reges, Principes, Resque publicas per legatos, ac literas ad susceptum ingens, piumque negotium juvandum, conciliumque celebrandum, summis adhibitis adhortationibus, invitabat, quo omnibus pene provinciis depravatæ religionis vitio laborantibus salubri, ac præstanti remedio, quo calamitosissimis temporibus Ecclesia uti consueverat, subveniretur. Diploma per universum christianum orbem diffusum, catholici Principes summo ardore complexi, provinciarum Episcopis, & iis, quorum jus in Concilio decernendi, vel disceptandi esset, Tridentum proficisci jussere. In iis Ferdinandus Imperator, Philippus Hispaniarum, Carolus Galliarum, Sebastianus Lusitanæ Reges, atque alii Principes fuere. Senatus legatos duos, qui Reipublicæ nomine Concilio interessent, Nicolaum Pontium, Matthæum Dandulum designavit, Venetæque ditionis Antistites præstituto tempore Tridentum convenire præcepit. Ex eorum vero numero, qui accedere noluere, princeps Elisabetha Britannia Regina extitit, quæ, veteri ex Anglia religione sublata, novisque hæresibus infectis, Hieronymum Martinengium, legatum ad se a Pontifice missum, ne audire quidem, aut admittere voluit; immo e Belgio in Angliam trajectu prohibuit. Germani Principes, Saxo, Brandenburgius, ac Rhenanus, qui Lutheri dogmata amplexati fuerant, Zachariam Delphinum Pharensensem, ac Joannem Franciscum Commendonum Zacynthi Episcopos, legatos, non uti a Pontifice missos, sed quod Ve-

*Nicolaus
Pontius,
Matthæus
Dandulus
eratores ad
Concilium
designati.
Elisabetha
Angliæ Re-
gina Hiero-
nymum
Martinengium,
Pontificis lega-
tum, ad-
mittere re-
nuit.
Legati Pon-
tificii ad
Germanos
& alios
Principes
ad Concilium
invitandos
missi.*

neti